

## **Dissertatio medica inauguralis, de steriliate / [Simon Reuter].**

### **Contributors**

Reuter, Simon.  
Albinus, Bernhard, 1653-1721.  
Universität Frankfurt an der Oder.

### **Publication/Creation**

Frankfort-on-Oder : J. Coepzel, 1683.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gkt5kn2c>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISPUTATIO MEDICA  
IN A U G U R A L I S,  
DE

# STERILITATE,

<sup>Q V A M,</sup>  
ANNUENTE DEO,  
EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS,

IN ILLUSTRIS HAC VIADRINA,

P R Æ S I D E

DECANO SPECTABILI

Dn. BERNHARDO ALBINO,

PHIL. & MED. DOCT. Hujusq; PROF. PUBL. ORDIN.

*Fautore suo ætatem colendo,*

PRO LICENTIA

Assumendi Gradum Doctorem,

IN AUDITORIO MAJORI,

Ad Diem XII. Octobr. A. clb lbc LXXXIII.

Horis Ante-&-Pomeridianis

*Publico Eruditorum Examine subijciat*


SIMON Reuter /

Brambacho-Variscus, CIRCULI & Civitatis Arnsvval-  
denfis Medicus Ordinarius.

\*\*\*\*\*

Frankofurti ad Viadrum imprimebat Johannes Cœpselius, A.T.









**M**ibi satis placeret, si nobis etiam arborum more citra conjunctionem procreare liceat, sive alia quæpiam reperiatur rerum propagandarum ratio, quàm coitionis illa vulgaris & trivialis: Nihil profectò ineptius est, aut Viro sapiente indignius; Nihil quod mentis celsitudinem turpius dejiciat. quàm si animo jam deferbente reputet, quàm insigniter ineptierit. Quisquis illa reliquit certè & in Deum & in homines injurius fuit. Displiceat licèt Augustino corporum contactus, sine quo uxor haberi non potest; dubitet idem an operam liberis dare ad officium pertineat sapientis; Novimus Deum dixisse: Crescite & multiplicamini: nec illius aliam voluisse viam corporis humani docet fabrica, quam si opus digitorum Dei dixero omnia dixero: Unde dicente Arnobio:

- - - - - Fatum est in partibus illis  
Quas sinus abscondit.

At, qui nos sumus, ut Creatoris nostri opera corrigere velimus, ut illius placita nobis displiceant? Tollas horum crepundiorum è genere humano usum, quodnam erit laborum præmium, ærumnarum solatium, tædii temporis remedium? Adeò altas in hominum animis



id egit radices ut dolores oculorum, foeminas innuo,  
cum desiderio expetant. Imo

eadem summis pariter minimisque libido est.  
Nec melior pedibus silicem quæ conterit atrum,  
Quàm quæ longorum vehitur cervice Syrorum.  
Hinc hermaphroditos, quod iis partibus malè confor-  
mati essent, mari merferunt Romani, vel in Insulas deser-  
tas deportârunt; Sic quod Cornelia Gracchorum mater  
concreto genitali nata esset infausti ominis res habeba-  
tur. Vanis talibus, quisquis fuerit, votis suum exfatiet  
appetitum, quod Deo placuit id & nobis placebit. Con-  
didit ille Marem & Foeminam ut in mutuos ruant ample-  
xus, & chara suscipiant pignora, ne posteritatis spe desti-  
tuantur. Si ulla in naturâ rerû certè hæc generatio est pro-  
blema problematum; Quæstionû hic est abyssus, respon-  
sionû sterilitas, semper enim quod quæras, rarò quod re-  
spondeas, reperiens; Involucra, quæ foetum tegunt, nostrâ  
quasi terminantur cognitionem, nostrâque origine ob-  
scurius ferè nihil est. Multas tamen ab hac regulâ esse  
exceptiones quotusquisque est qui nesciat? Frequen-  
ter enim Comici cujusdam jocum in agrum sterilem  
apud Stobæum fermone LV. suum faciant oportere  
mariti:

Ἐγὼ γ' ὀρέω τὸν ἀγρὸν, ἔχ' ὅπως τρέφῃ  
Αὐτὸς με, παρ' ἐμῶ δ' ἵνα λησφὴν προσλαμβάνῃ.  
Σκὰπ' ὡ γὰρ αὐτὸς ἐπιμελῶς, σπείρω τ' αἰεὶ  
καὶ πάντ' αὖ ποιεῖ πρὸς τὸ δύναι καὶ λαβεῖν.  
Ὁ δὲ λαμβάνει μὲν, ἀποδίδωσι ἔτι ἐν.  
Ἀποσερῇ ἤν' ἔλαθον ἀγοράσας ἀγρὸν.

Latine sonat:



*Ego curo agrum non ut nutriat ipse me, sed ut alimentum à me capiat. Nam fodio diligenter ac sero semper, denique nihil non facio ut dem & recipiam. Ille verò capit quidem, nihil autem restituit. Defraudantem imprudens agrum emi. Eæque uxores Lupercis currentibus sese offerentes manustenderent ut ferirentur. Hanc conjugum sterilitatem pro Themate Inaugurali mihi argumentum selegi, quod ut æquis, Amice Lector, oculis intuearis, enixè contendo. Memor tamen illius Corneliani dicti l. 6. cap. 18. Difficilem hanc esse explanationem simul & pudorem, & artis præcepta servaturis. In initio statim protestor, me partes illas dum fando denudare debeo, nil aliud intendere, quàm ut id, quod veni, eloquar, quod enim anatomici sine flagitio lustrant, de eo sine turpitudine me fari posse reor.*

## TH. I.

Generationis opus Marem Fœminæ junctum absolvere rusticus æque ac Sapientissimus novit; Neculla hodie innocens adeò puella est quæ imprægnationem admissio viro non vereatur, Imò ipsa etiam infantum simplicitas de utroque parente sollicita esse solet. Historiam generationis norunt omnes; scientiam verò perpauci, & cum sterilitatis mentio fit, vix aliud dicunt, quàm vel fœminam innoxie jungi viris, vel virum sine damno misceri fœminis, uti loquitur de eunucho Terentiana Pythias:

At pol ego amatores, mulierum esse audieram eos  
maximos:

Sed nihil potesse.



Adeò ut licèt voluntatis, facti tamen rei non sint. Res itaqve ut illa clariùs dispalescat & Anatomici & Physiologi suam conferant symbolam oportet. Docet anatomicè aortam duos suppeditare ramos, qui obliquo ductu supra uretheres ad ingvina descendant, illòsque duas comitari venas, vel ab emulgente vel cavâ ortas, simulqve communi membranæ inclusas variè inter se crispari & contorqveri, firmiter à nervis ligari, pampiniforme constituere corpus, alteri testis extremitati annecti & partim hinc ad testem ejusque nervosum ductum, partim ad epididymidem & parastatas distribui & tandem in ductum nervosum penetrare.

E ductù hoc Highmorianò anfractuosos alios egredi ductus, qui contortis fistulis vasculosam substantiam efforment Epididymida dictam, quæ paulatim mutato nomine in parastatas faceßat, qui postea sursum supra os pubis lati, præparantibusque nexi ejaculatoriorum vasorum nomine innotescant, quæ in extremitate intra suum canalem medullam contineant glandulosam, & vesiculis seminalibus conjuncta in urethram sese exonerent.

Docet eadem, vesiculas seminales, in quarum anfractuosis glandulosæ substantiæ cellulis humor ex albo livescens copiosus asservatur, utrinqve suum habere situm inter vesicæ & intestini recti ligamenta, & hiare inconspicuis quibusdam foraminulis eo loci, quo vasa deferentia, in urethram. Ad penis radicem glandulas duas spongiosas quidem, vesiculis tamen seminalibus duriores, perinde cum illis suis vasis donatas, sitas esse, quæ suis poris etiam in eandem hient urethram, quas



quas prostates dicunt. Per urethram intelligunt canalem illum urinarium à vesicæ cervice ad penis extremitatem exprorectum, quem utrinque duo corpora nervosa fungosæ prorsus carnis, firmissimâ membranâ connecta & innumeris nervulis coërcita, amplecti annotant.

## TH. II.

Oeconomia animalis docet aliquot millenos singulis horis cor edere pulsus, sive sangvinem toties in arterias intrudi adeoque propelli; quo jam ille angustiores subire debet vias, eò majorem nanciscitur superficiem, adeoque singulis istis ictibus singulæ particulæ magis exponuntur, si jam viarum anfractuosa accedant ambages in vasorum latera impingendo mirè tumultuabuntur & cruoris mistura turbabitur. Illud jam fiat oportet in corpore varicoso, in quo sanguis quasi ebutyratur, unde observantibus magni nominis Anatomicis circa vasorum horum medium jam spermatis apparet rudimentum, reliquo per venas refluxo sanguine; Quod rudimentum dum solidiusculam testium subit substantiam & intricatam vasorum commistionem, magis atq; magis depuratur atq; sic ductum ingreditur Warthonianum, ubi illum liqvozem jam manifestè spermaticum in epididymidem sibi continuam effundit, inde parastatas subit & tandem per glandulosam medullam quasi filtratur, antequam illum recipiat urethra. Suum etiam contribuunt vesiculæ seminales, per quarum glandulosam substantiam è sanguine transcolatur materia seminalis, dissimilima illi testiculorum, atque sic sudamina illa seminalia in illarum anfractibus asservantur suo tempore in urethram



thram ejaculanda, testium spermaticæ materiæ ut misceantur. Hûc etiam faciunt prostatae, glandulae reliquis duriores, quibus nulla, neque cum testibus, neque vesiculis seminalibus, intercedit communio, cumque & illae poros habeant constanter singulares, peculiarem etiam à sanguine separabunt materiam, quæ reliquis materiis seminalibus magis crassa, lubrica ac viscida apprehenditur. Tres hi jam liquores, si commisceantur, uti in coitu commiscentur, constituunt basin spermatis prolifici, uti clariùs docebunt secutura.

### TH. III.

Dum passionibus amoris & cupiditatis sanguinem exagitant, plures etiam in cerebro secernuntur animales spiritus, qui eò copiosius ad eas partes, quibus quod desideratur obtineri posse speramus, omninò determinantur, quos dum recipiunt bini spongiosi folliculi, tanquam vela inflantur & turgent, penemque indurant. Turbinatum penis caput intumere faciunt, nervosque illius subtilissimos valde tendunt, qui cum tenuissimâ tecti sint membranâ exquisitissimi sensus organa sunt; Accedente jam iteratâ frictione major spiritibus animalibus usque & usque influendi datur occasio, itaque vehementior tensio, majorque oritur titillatio. Ebulliens sanguis & ferocientes spiritus exagitant testium, vesicularum seminalium & prostaticarum humores, in quos ab omnibus partibus à titillatione eò determinati influunt, qui his calcariis stimulati, dum turgere incipiunt ex angustis latibus efficaciter erumpunt. Hunc materia seminalis testium accipit à plexu gâglioformi sive Fallopii olivari corpore



in quo propter moram in laticē confluxere subtilem, accipit ab aliis nervorum ramis, quibus omnibus in his angustis concurrentibus illud cum impetu in urethram profilire debet. Vesiculæ seminales, alio repletæ liquore, cum habeant suas cum nervis arterias, quemadmodum & prostata analogum quid patiuntur, pariqve cum violentiâ subeunt urethram, ubi omnes illæ materiæ spiritibus turgidæ invicem commistæ saltu è balano egrediuntur & seminis nomine jam olim innotuere.

## TH. IV.

Fœminarum corpora, docente eadem anatome, aliam ab his exhibent partium genitalium conformationem. Taceo jam vasa spermatica præparantia, quæ licet magnitudine & insertione à virilibus differant, numero tamen ortu & officio cum iis virorum se perinde habent. Testes muliebres sunt, qui considerari merentur, illis enim virorum toti dissimiles sunt; nolo jam minutias quaslibet attendere, cum anatomicam descriptionem hic non profitear: Toti illi ex glandulis ac vesiculis, sua vasa sangvinea habentibus, coagmentati sunt, adeo ut verè Ovarium dici mereantur. Et cum Clariss: Malpighius de pulli Formatione in Ovo p. 4. pulli stamina in ovo præexistere. Syammerdam de miraculo naturæ, nigrum illud punctum, quod in ovis ranarum videre est, ipsum ranunculum omnibus suis partibus absolutum esse, observaverint. Excell. verò Kerckring. Antropog: Ich-nograph: c. I. Ovum humanum c. verò II. trium dierum fœtum asservet, nihil obstat, quo minùs omnia totius fœtus membra in iis mulierum delineata esse affirme-



mus. Deferunt illa ova flexuosi brevesqve ductus uteri fundo adnati Tubæ Fallopii. Uterus verò ipse substantiæ est membranosæ, cujus totum corpus copiosæ arteriæ & venæ aliqve perreptant vasa; cavitas desinit in orificium uteri interius angustissimum, quod excipit oblongo spongiosus, nervosus canalis, sing pudoris dicto, qui tandem in magnam desinit rimam seu muliebrem pudendum, cujus superiorem & anteriorem partem œstrum Veneris, clitoris seu tentigo ex duris spongiosis & porositis composita corporibus munit. Dum igitur inter lacertos viri fœmina fervet, pariter ad ea membra, quibus cupita obtentura sperat, in majori copiâ spiritus determinantur, quos recipientes corpora clitoridis spongiosa intumescunt & illud veneris antrum coangustant, eo modo genitale viri prensatum incalescit, & dum arietat nerveæ mutonis fibrillæ titillantur atque sic omnibus impetuosè agentibus saltu semen prorumpit, uteri cavitationem subit, & cum totum spirituosum sit per aperta uteri spiracula & poros circumjacentes contingit partes, & ad instar fermenti ova inquinat, quæ exsoluta per Tubas Fallopii in uterum deposita, ibi vegetantur, tandemqve mater virum pulchrâ prole facit parentem, suaqve facit verba gravidæ ad militem scorti apud Comicum:

Salve

Qui me interfecisti pene & vitâ & lumine,

Quique vim magnam doloris per voluptatem  
meam

Condidisti in corpus etiam quo nunc morbo misera sum.

Th. V.



## TH. V.

Cum verò ab omni ævo constet, plurimos sterile expertos fuisse conjugium atqve exoptatâ frustratos fuisse prole, in causas hujus obstaculi animum induxi ut inquiram. In sacris inter magnifica Dei promissa in præmium obedientiæ erga Israëlem reperitur, quòd nulla sterilis in populo sit futura. Quando Deus cum Abramo pepigit fœdus, Abrahamum fore promisit, ejus Uxor non ampliùs Sarai, sed Sara appellari debuit, & omni benedictioni ferè seros addidit nepotes. Docet idem Codex occlusisse Deum cum omni familiâ Abimelechum quòd Saram domum duxerit: Quod Davidem irriserit Michal, sterilis mansit; Ducat quis vel patruì vel fratris uxorem, perpetuæ sterilitatis maledictionem subibit. Imò quid in sacris frequentius, quàm, ut ex sterilibus fœcundæ fiant, preces supplices. Sterilitatem detestati sunt quot quot è gentibus fuère sapientiores; hinc lex Solonis juvenem, in uxoris vetulæ domo pingvem factum (ut ferunt perdicibus à coitu accidere) ad virginem viri indigentem, transferri jubet. Plutarchus in Solone. Permisit Lycurgus seni, qui uxorem ætate integrâ habebat, si quem honestorū ac virtute præditorum juvenum probaret, eum ad suam conjugem, introducere, cumqve is eam generoso semine implevisset, prolem inde prognatam suam facere: Plutarch: in Lycurgo. Eâ de causâ Cato Martiam Uxorem Hortensio, Socrates Xantippen alii dedit, atqve alii id sæpe factitarunt. Alex. ab Alexandr. Genial. dierum libr. I. c. XXIV.



Causas igitur exosæ adeò ac contemptæ sterilitatis naturales, de illa quippe, quæ iræ divinæ fuit effectus, in præsentiarum altum silebo, indagaturus, quales illæ à parte virorum, quales à parte mulierum, quales denique ex utriusque sexus conjunctione deprehendantur, quid illæ sperare jubeant, & breviter quomodo iis medicina facienda sit, videbo.

## TH. VI.

Singula membra suis usibus in corpore hominis destinantur, totidemque sunt diversarum actionum organa. Membrum virorum primariò imprægnationi destinari suspirati amores & matrimonii solennia testantur. Vel prorsus desint, vel mutata sint illa organa vel malè conformata, tunc prorsus non, vel non ritè operabuntur. Cuidam à nativitate glandem penis non fuisse perforatam, sed circa testes foramē, per quod urinam reddiderit, habuisse, notat Amatus Cent. I. Cur. XXIV. Qvendam in Polonia degentem, cui in extremitate glandis vestigium saltem foraminis, foramine ipso infra glandem existente, qui in conjugio vivat sterili in Ephem. Germ. Anno IX. & X. notat Cl. Polifius. Ulcus in urethra, à vetro filo sericeo constricto ortū, per quod urina excernebatur, habet Wepferus Ephem. Germ. anno III. obs. CLXVII. Sunt & alia penis vitia, quæ, quò minùs suo fungatur officio, impediunt. Virgam alii habent brevissimam; memorat Forestus Lib. XXVIII. Obs. LVII. de mulierum morbis, se pistorem novisse, cui penis à naturâ adeò brevis, ut pollicem non excederet, nec unquam genuisse. Mentulam totam de repente ad interi-



ora retractam, ut nec quicquam de pene apparuerit, vide  
 is in Eph. Germ. Anno IV. & V. obs. CLV. A Gangræ-  
 nâ penem absumptum, ut vix unius digiti articuli lon-  
 gitudinis superfuerit, observavit Hafniæ Th. Barthol. hist.  
 anat. Cent. III. hist. XXVII. Basileæ Anno MDC LIX.  
 Ubi cūdam Lithotomus membrum virile cancro-  
 rum, superstite ægro feliciter circa radicem detrunca-  
 vit. Bartholin: Epist. Medicin. IX. Cent. III. His  
 ti curta nimis suppellex & res est angusta domi ita-  
 lici liberalem nimis experti sunt naturam. Memora-  
 bile est, quod refert Th. Barthol. Epist. Medic. X. Cent.  
 I. *Quum nuper pagum Selandia nostra Baarup trans-*  
*sem, iter meum remoratus est homo miser stipem rogans,*  
*ubi hibernâ se laborare quærebatur. Propius accedere*  
*cessus, horrendum ex caligis producit membrum, quod vir*  
*erat. Scrotum enim cum pene in unum corpus informe*  
*vassi coaluerat tam vastum, ut tres spithamas æquet*  
*longitudine, unam crassitie, speciem maxima cucurbita*  
*ferens, venis tumidis variegatum. Ad latus foramen*  
*erat, per quod lotium emittit, quod umbilicum credidi*  
*um primum viderem: quæ suspicio evanuit viso in supe-*  
*ore parte umbilicò vero. Quoties lotium reddidit, in-*  
*forme hoc peculium universum ex gremio suo prodire*  
*bet, ne se commingat. Ita reminiscor, me vidisse*  
*conditionis virum inferioris, Mühlhausen Variscorum*  
*colam, cujus membrum, quo viris annumeratur, tan-*  
*erat vastitate, ut equino magnitudine parum cede-*  
*ret, quare etiam uxor ejus, cupiditate prolis inflamma-*  
*to, divortium per viam juris ob impeditam venerem*  
*gebat seriò. Analogum in commodum incurrunt ni-*



mium obesi. Prodidit enim Laur. Valla Libr. II. hist. Martinum Arragonum Regem ductâ juvenculâ uxore, Margaretha Petri Comitis Pratenfis filiâ, nullâ Medicorum arte, nullisqve machinis, administrantibus licet matre aliisq; matronis, licet viri quoque aliquot Regi fuerint ab auxilio, qui ventre quasi appensum per fascias à lacunari pendentes, quibus proni ventris tumor prohiberetur, demitterent eum sensim in gremium puellæ ac sustinerent, puellam potuisse deflorare. Huc etiam iireferendi, qui propriè impotentes dicuntur & penem vel prorsus non, vel non sufficienter, vel non satis diu erigunt. Impotentem fuisse Carolum Crassum Imperatorem, Richardis ejus conjux, integritatem suam obstetricibus & mulieribus honestis explorandam concedens, ostendit. Constantium Imperatorem ad coitum segnem fuisse, Cuspinianus prodidit. Viri cujusdam eruditi imperfectam venerem sæpius doluisse Dominum Præsidem novi. *Sic memini aliquando me in consilium vocatum apud hominem uxoratum, pene satis crasso & testibus crassiusculis praditum, ineptum tamen ad conjugii munia obeunda, inprimis ob defectum sufficientis ac satis diu perseverantis erectionis in pene, ait Frandele Boe Sylv. Prax. Medic. append. Tract. Vto §. 498.*

## TH. VII.

Hos omnes manere ineptos thalamo torivè rebus historia generationis docet. Certum quidem est pro foeminæ libidine uteri vaginam jam longiorem, jam brevior, latior vel angustior, in congressu fieri, sed quomodo illa colem amplexabitur, cum vel nullus est,



, vel adeo brevis, ut vix labra exosculet, vel tantæ  
 titatis, ut ingredi nequeat? Quî semen illud uterum  
 cundabit, quem ob foraminis obliquitatem non in-  
 editur? Extat, fateor, in Ephem. Germ. Ao. III.  
 of. XCVIII. glandis non rectè perforatæ, qui tamen  
 liberorum fuerit pater, exemplum, sed forsan illa  
 liquitas tanta non fuit, quin illam vehementior se-  
 nis ejaculatio, membri longitudo aliæve compensâ-  
 nt circumstantiæ. Obstruatur nervus ut spiritus in-  
 ere in spongiosa nequeant corpora, fit paralyfis, nec  
 getur membrum, & licèteductio urinæ non impe-  
 tur, impeditur tamen seminis, id observante Aëtio  
 VI. c. XXXV. & notabilis Observatio Eph. Germ.  
 . III. Obs. XLI. id omninò stabilit. Deficiant  
 em in corpore spiritus vel propter morbum, unde  
 istum in declinatione morbi membri virilis erectio  
 num esse solet; vel aliam quamcunque causam; vel  
 et adsint, non influant, uti contingere novim⁹ in pудо-  
 metu, aliisq; vehementioribus animi passionibus, flac-  
 us ille penis Rosam non exosculabitur.

De Fascino nihil addo, sed mea facio verba Hier.  
 mercurial. Lib. IV. c. I. Med. Pract. *An autem faciant  
 antamenta & muliercularum veneficia hanc impoten-  
 tiam, neq; affirmare neq; negare audeo. Non affirmo,  
 quia nullus probatus scriptor, neq; ulla ratio persuadere  
 potest. Non nego, quia & multa experientia sunt, &  
 rationes & leges id fieri posse videntur statuere. Itaq;  
 incerto rem hanc relinquo.*

## TH. VIII.

Varia ludentis naturæ miracula viscera hominum  
 serva-



scrutantibus indies sese offerunt, illam enim jam in defectu jam excessu peccare videas, jam datâ quasi opere id agit, ut ludendo nostram exerceat industriam & pertinacem fatiget solertiam. Id luculenter observo dum ad interiores generationi dicatas partes progredior. Quatuor notavit arterias spermaticas Excell. Kerckring spicil. Anat. Obs. 32. Illarum totalem defectum in cadavere suspendio necati Argentinæ observavit Sebizius Ep. Germ. Ao. IV. & V. Obs. I. Visum fuit utramque arteriam quando arteriam præparantem defuisse ait C. Bauhinus Anat. l. 1. cap. 25. His annexi testes à primæ genesi nonnullis defunt, qualis Dorotheus Antiochus Præsul fuisse dicitur. Atten Calai Phrygis filium ad venerem planè inutilem editum à matre fuisse, elegorum scriptor Hermasianax versibus prodidit. At teste Arnobio lib. V. contra gentes testes sibi ipsi amputavit. Semiramis affirmante Cœlio lib. 13. c. 2. teneros mares castravit. Phocam Imperatorem ab Hæraclio & Niceta castratum legimus. In herniis intestinalibus uterque aliquando refecatur testis, unde Urbinos celeberrimos in Italia castratores appellat Schultetus Armam. Chirurg. Tab. XL. fig. VIII. Afficiuntur testes tumore duro scirrhusoq; , apostemantur iidem, patenturque ulcera, & quot non aliis obnoxii malis, qui ipsos inutilia reddunt corporis pondera. Errores & defectus illi, sive natura sive ars illos causet, marem omnino ad procreationem reddunt inidoneum; Desint vas præparantia, nisi illorum defectus aliis vasis suppleatur, quod vide sis Eph. Germ. Ao. III. Obs. 113., spermaticus non ebutyratur liquor, nec sperma erit prolificum.

Desi



Desint vel malè affecti sint virilitatis testes, idem omninò manebit incommodum, per quas enim vias semen ad urethram derivabitur? Unde etiam Phavorinus inter tria illa miracula, quæ de se prædicabat, quòd Evnuchus mœchus putaretur, referebat. Adulterii poenas, quas justas luere debebat exfectis testibus, ut falsitatis accusatores argueret, Hermannum Wolfratgem effugisse testatur Wierus de Præstig. Dæmon. L. IV. c. 20. Adeò ut quoties in necessariis natura deficit instrumentis, toties etiam suo munere defungi ritè nequeat.

## TH. IX.

Intueamur jam ipsum, quod emittitur, sperma illiusque varia peccata. Suumquemque contribuunt vasa deferentia, vesiculæ seminales & prostatae peculiaris consistentiæ & qualitatis liquorem, qui, dum in urethra miscentur, semen constituunt fœcundum; debet enim id fermenti subire vicem, ut contagio inquinet ova, adsit igitur oportet certa constituentium particularum proportio, misceantur igitur omnes illi tres liquores, & si alteruter deficiat, cassum id erit. *Observatio Chirurgorum, qui lithotomia operam navant, hoc ipsum confirmat, nempe illos, quorum prostata in calculi majoris & asperi extractione multum lacerantur, steriles & infœcundos in posterum evadere; forte ex laceratione hac callus ipsi loco effluxus materia seminalis à prostaticis in urethram inducitur. Verum iidem quoque observant, sectos, quibus vesiculæ seminales ex lithotomia similiter disrumpuntur, ineptos etiam ad generationem reddi. Unde sequitur tum prostaticas, tum vesiculas seminales ad*

C

gene-



*generationem efficaciter concurrere & utramq; in hunc usum materiam sui generis preparare. Warthon. Adenograph. cap. XXXI.*

Eunuchi & spadones propter impotentiam infames sunt, sunt tamen illi nocturnis pollutionibus obnoxii, qualem Italum Hafniæ se novisse dicit Barthol. Epist. LXIV. Cent. III. Infœcundi, non aliâ de causâ quàm quòd testium latex cum reliquis non concurrat. Quin imò illi liquores copiosis esse debent distemperati spiritibus, qui propter nervos & plexum Fallopii obstructos cum abfuerint, id fit aqueum. Cum vasa sunt pauca vel nulla fit nullum. Dnum. de la Saute licet cum membri tentigine coeundi desiderium teneret, nullum tamen is semen effudit, quod semen in lapides transierit. Blegny Zodiaci med. Gall. Ao. LXXX. mens. Mart. Color, odor, acrimonia aliæve qualitates vitiatæ totidem vitiosi seminis sunt indicia, Coloris mutati notabile exemplum est Ephem. Germ. Dec. I. A. I. Obs. LXIII. *Interim observat ille in congressu cum uxore semen effluere nigrum atramenti scriptorii instar sine nexâ, quod semen ipse vidi, quod tamen successu temporis & medicamentorum ope mutatum, ita ut intra annum epatis colorem contraheret, tandem paullatim post duos vel tres annos flavesceret & paullatim albescere cœperit, non pervenit tamen ad illam albedinem unquam, quam antea habuit.* Nec immeritò causam sterilitatis rejicit in semen virile juvencula illa formosa, cujus mentio fit in Ephem. Germ. Dec. I. Ao. III. Obs. 232. acredo enim seminis est, quæ illam tantis afficit anxietatibus & infimi ventris cruciatibus. Sinibaldus L. III. Geneantrop. Tr. I. cap. 12. narrat



narrat quendam à pharmaco irritante excitatum unà cum semine vim pargantem in meretricem transfudisse. Et quis omnes circumstantias determinare auderet? Inter qualitates vitiatas non infimi subsellii est quod habet Casp. Cald. de Heredia Trib. Med. Mag. Stat. VII. art. 3. dum inquit: *Aliud seminis vitium observavimus, quod fortè pratermiserunt alii: Totam nempe seminis substantiam in flatuosos crepitus converti: Solent isti ad coitum esse valde potentes: Sed quo tempore erat semen cum delectatione emittendum, emittunt crepitus & flatus; & quidem non absq; delectatione; hoc se pati à quadam muliere audiui. Et virum novi qui hoc idem patiebatur.* Quæ omnia cum à minimis dependeant, & particularum situs, motus, figura, coloris, odoris, aliarumve qualitatum mutationem inducat, non nisi præsens & prudens Medicus omnibus ponderatis solidum & eruditum feret iudicium; minimæ enim hæ differentię in certos redigi nequeunt ordines.

## TH. X.

Variam circa virilia ludentis naturæ vidimus industriam, non minori solertiâ in muliebribus quandoq; aberrat eadem. Montes sine valle inter non-entia hætenus relati; sine valle tamen quandoq; monticuli conspiciuntur veneris. Arretas volo, quibus à nativitate imperforatus vulvæ est meatus, qualis fuit obstetricis Alkmarianæ filiola, cujus pinnacula sibi cohærebant, reliquâ saltem parvâ, per quam lotium reddebat, rimâ; teste Foresto Obs. Lib. XXVIII. Obs. LV. Coalescit eadem rima ob exulcerationem penitus, ut ne vestigium quidem foraminis appareat, aliquando



phymosi relictâ angustum adeo fit foramen, ut virum admittere non possit; quod se vidisse ait C. Bauhin. Anat. L. I. c. XXXIX. *Quod cuidam, inquit, ex partûs difficultate hâc parte lesâ accidisse vidimus, ut cum curam illius, pudore impeditâ, naturæ committeret, luxuriantem carne, os illud cervicis uteri, adeo occaluisse, ut ne menstruis quidem pateret effluxus, & cicatrice spissâ, sicuti postea sectione post mortem illius, quam viva ferre nolebat, deprehendi, profundè admodum & penitus oblitteratum fuisse,* Fel. Plat. Prax. Medic. Tom. I. cap. XVII. Lipsiæ MDC LXII. observata est excrescentia carnea interiori colli orificio adnata, illum adeo exactè claudens, ut nullum semen uterum ingredi potuerit Ephem. Germ. Cent. I. A. II. Obs. 208. Rarò quidem sed aliquando tamen deesse illud scribit Th. Barth. Anat. L. I. cap. 29. Subinde etiam alia oboriuntur obstacula, quæ, quo minùs mas fœminam ingrediatur, impediunt, quod in natura nimis arctis contingit. Impedit & illum quandoque clitoris, quam colli anserini crassitiem & longitudinem æquasse Platerus vidit, cumque in istis subigatricibus in coitu turgeat ad instar erecti penis, viri impedit congressum; quare etiam illæ tribades lubentiùs mulieribus quàm viris miscentur. Claustri virginalis ut mentionem faciam, non opus erit, appositè Getæ Terentiani huc quadrant verba:

- - - Prima coitio est acerrima:

Si eam sustinueris, post illa jam, ut lubet, ludas licet.

Quæ omnia talia sunt ut aggerum instar à seminis inundatione uterum defendant; arcent enim penis introi



troitum, vitaleque nectar foras esse jubent. Extat, fa-  
 teor, apud Riolanum historia mulieris, quæ ex difficili  
 partu partes genitales laceratas habuerat, cujus nymphæ  
 & quatuor carunculæ tam arctè coaluerant, ut vix spe-  
 cilli cuspide foramen admitteret, & nihilominus con-  
 ceperit. Imò observatio Henr. Mœnichen XIII. dum  
 Bartholino ita scribit: *Puella Romana à primo ortu clau-  
 sa, nisi quod exiguum esset foramen, vix pisum capiens  
 pro urinae ac menstruorum egressu, assiduis amasii pre-  
 cibus commota ipsius libidini nimium dedit, rata nullum  
 conceptionis periculum futurum, quippe cujus vulva la-  
 labia à nativitate conjuncta & unita penem non admit-  
 tebant. Ceterum fricationis hujus debitas dedit pœnas,  
 ex ipso præter spem & opinionem gravida facta: contra-  
 rium docere videtur. Omnibus ponderatis circumstan-  
 tiis, maximos amasius debuit egisse cuniculos, ipsaque  
 ictus intrepidè excepisse puella, quod semper nitamur  
 in vetitum & negata cupiamus; hinc propter honestatem  
 alios illicitæ libidinis ut taceã modos. Audaces fecit sce-  
 leris impunitas & ex proverbio: Quem sæpe transit ca-  
 sus aliquando invenit; Vanos quos credebat arietantis  
 proci ictus pruriens puella cum æstu excepit, adeoque  
 forte fortuna quid spumantis istius fermenti totus hi-  
 ans avidus excepit uterus, & sic justas libidinis in corpus  
 recepit pœnas. Sed rara à generali regulâ exceptio est.*

## TH XI.

His superatis difficultatibus, quid rerum in utero  
 agatur dispiciendum. Quanta non sentina oppidò oc-  
 currit, viscida & pituitosa materia illum sæpe replet, a-  
 lia ipsius dum obstruit poros, vaporū impediendo trans-



itum, flatibus illum distendit, acris materia variis ejusdem convulsionibus sæpe dat ansam; in cadavere hystericae Mannagetta uterum materiâ, caseo recenter coagulato haud absimili, turgidum reperit, Ephem. Germ. Dec. I. Anno I. obs. 32. ipsius uteri substantiam totam cartilagineam refert Cnöffelius Ephem. Germ. D. I. Ao. IV. & V. obs. 57. Uterum substantiæ partim scirrhosæ, partim glandulosæ, putridâ & nigricante materiâ adimpletum vidit Regnerus de Graef Eph. Germ. D. I. Ao. I. obs. 128. Scirrhosum deterrimi odoris pure repletum Tudecius Eph. Germ. Dec. I. Ao. IX. & X. Obs. 176. Totum scirrhosum, ut cultro quamvis acutissimo non nisi vi discindi potuerit, Scholtzius Eph. Germ. Dec. I. Anno II. observ. 60. Uterus totus quandoque computrescit, vel hydropi obnoxius est, ipsius cervicis amplitudo nimia quandoque est; menstruorum fluxus aliquando nimius est, nonnunquam nullus; sunt illa propter cacochymiam pituitosam interdum alba. Sit uterus pituitâ, materiâ acri, purulentâ, caseosâ, aqvosa, flatulentâ, repletus, sterilis ager erit, qui semen immissum suffocabit, corrumpet, destruet, dissipabit. Sit ille scirrhosus, cartilagineus, putridus vel semen inquinabit, vel contagiosa ipsius effluvia deprimet. Sit nimius menstruorum fluxus, sit nimius fluor uterinus, eluent virile sperma, vel si ovum ab eo fecundabitur, id per vias, quas fecere, lubricas & hiantes, secum educent. Sint illi justo pauciores, uteri obstructionum malorumque in eo humorum luxuriæ indices erunt. Hiet nimium, per patulum id foramen spiritus dissipabuntur, semenque vix ingressum effluet denuo. Confirmat id Hippocrates sect. V.

aph.



aph. 62. *Quæ frigidos & densos habent uteros, non concipiunt. Et quæ præhumidos habent uteros, non concipiunt: Extinguitur enim genitura in ipsis. Et quæ plus æquo siccos & adurentes, nam alimenti defectu semen corrumpitur. Et libro de Sterilibus: Mulier mensibus omnino non prodeuntibus non concipit, vel paucioribus quàm debet, vel pluribus quàm oportet, vel ulcerata in utero.*

## TH. XII.

Ulti viris, ita & mulieribus sui sunt testes, nec hi illis minoribus premuntur incommodis, sunt enim & illæ evnuchæ. Lydorum Imperatorum Gygen γυναικας ευνυχισας id est *Mulieres eunuchas fecisse ὅπως ἀπολαύσειν αὐτοὶ αἰεὶ νεαγύσας ut illis perpetuò tanquam ætate florentibus uteretur* ex Libr. XIX. c. 29. Cœly constat. Joannes ab Essen, quod corporis usuram alicui filiam suam concedere opinaretur, violenter uterum eidem, quemadmodum pecori solet, exsecat, conceptionique porro inidoneam sanat. Wier. de Præstig. Dæmon. l. IV. cap. 20. Hydropem tubæ Fallopii notavit Bleinii Zod. Med. Gall. Ao. LXXX. p. 60. Illorum vasorum vandoque observatus est defectus, scirrhi, obstructions, aliavè præternaturalia; Possunt esse ovarum tuni-  
æ nimis crassæ, vel illi, qui per succubarum nervos ad uterum confluunt, spiritus aqvosi. *Imperfecta Venus est, quando in congressu aliqua nullam aut exiguam voluptatem sentiunt: Præsertim si hoc, non illis, quæ nimio illius usu satiata eam aliquamdiu non curant, sed his, quæ imperatè eam alioquin nonnunquam utuntur, accidat: Aut etiam perpetuum quibusdam sit, sicuti multis annis duran-*



*durante matrimonio, tres non plus delectationis aut sensus in coitū, quàm ex contactū externo aliòquin fieri solet, percepisse ex maritis ipsarum consilium à me petentibus, cognovi* F. Plat. T. I. c. 17. Prax. Quæ cum ita sint, sole meridiano clariùs est, sterilibus annumerandas esse. Cum enim resecantur ovaria, omnia auferuntur futuri hominis rudimenta, ablatum est germen, è quo spiritus feminis virilis hominem progerminare facit. Impediant hydrops, scirrhus vel alia, quò minùs ovum inquinatum utero committi possit, corrumpetur. Si ovi ipsius tunica crassior, quàm ut contagiosum spermatis virilis fermentum id inquinare possit, erit illud subventaneum. Sint per nervos influentes spiritus fale volatili orbat, fermentationem potiùs destruunt quàm adjuvabunt, & sæpe sæpius infœcundæ erunt.

## TH. XIII.

Sunt & aliæ utriqve sexui communes causæ, si videlicet juvenes nimis veneris adscribantur militiæ, qualis fuit Quartilla, quæ in Fragmentis Arbitri Petronii inquit:

*Junonem meam iratam habeam, si me unquam meminero virginem fuisse. Nam infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis majoribus pueris me applicui, donec ad hanc ætatem perveni.* Coitus enim immaturus, malitiâ ætatem supplente, dum instrumentis generationis vim facit, ulteriori ministerio reddit inutilia; ampliantur nimis tenellula illa vasa, pori destruuntur, totaqve eorum turbatur œconomia; rumpuntur alia, quod damno suo experta Andronici Palæologi Imperatoris Filia octo annorum, cujus matricem Crates Triballorum Princeps adeò læsit, ut fœ-



n nullum edere potuerit. Delasset coitionis frequentia virum, spiritibus exhaustis vappa succedet semi-exceptoque nomine id retinebit nihil, quale sine defuit illud quod mœchus ille Lipsiensis lassato prosti-  
o excepit pelvi. Frider. Hoffm. Clav. Pharmacev,  
röd. L. IV. Sect. II. §. 420. Multum fundus attē-  
ar meretricum, &

- lassata viris nec dum satiata recedat

Messalina :

eretur illa Lyciscam quinto ac vicesimo concubitu  
n. L. XIX. cap. 62. Ad clepsydram concumbat  
rtillum Metiche. Athenæus libr. XIII. c. 8.

Des Catts, des Germanis, des Cœlia Dacis ;

Nec Cilicum spernas Cappodocumque toros.

perpetuam vos proscenia damnata estis sterilita-  
i. Destruunt se tot generum fermenta, ut nihil minus  
quam talia. Dum hoc imprægnat ovum, insequens  
ursus destruit, aliaque se successivè insequentia, dum  
n invicem luctantur, stamina illorum conturbant &  
ventanea reddunt. Ut taceam partes continuo at-  
u callofas & nimium fieri patulas.

## TH. XIV.

Vitia hæc cuilibet sexui sunt peculiariora, evenit tamen  
ndoque ut Vir & Fœmina, cum aliis fœcundi, in sterili  
en vivant conjugio. *Est quædam privatim dissocia-*  
*corporum & inter se steriles, ubi cum aliis junxere,*  
*unt: Sicut Augustus & Livia. Plin. Libr. VII. c. 13.*  
oto die experimur, quosdam ultra decem vel plu-  
annos steriles in matrimonio cohabitare, ac deinde  
ve ullis remediis fœcundescere. Breviter ad histo-



riam generationis respicientibus liquet, illam totam fieri, quod spiritus seminis virilis ovaria mulierum subeundo in aliquo ovorum fermentationem excitet in puncto saliente primum conspicuam, vi cuius paulatim foetus emergant membra. Chymia docet inter fermentum & rem fermentandam analogiam intercedere debere, alias enim illa vel plane non, vel imperfecte fit. Instilles urinæ, liquori isti falso, acidus sal vitrioli & nitri &c. spiritus, & nihil efficies; illa leniter turbaturus, sal tartari injicias, quam aluminis solutio dictum factum maxime turbabit. Imo neque hoc sufficit, sed iusta quandoque requiritur proportio quod plane ostendit spiritus vini aquæ forti mistum unde notabilis oritur incalescentia; sed observantur Dno. Grevv nihilo magis efficias si spiritus vini aquam fortem portio sit tripla quam si aquam fontanalem affunderes; si vero sex spiritus vini octo aquæ fortis addas partes, subito magnam vehementiam effervescent, referente id Dno Blegny in Zodiac. Med. Gal. Anno MDC LXXX. Mens. Martii. Cum inter conjuges discrasia, sive spiritus viri prolificus ad foetum nam collatus fermentum non est, sive requisita proportione caret, hos omnino destituere proles debet. Atque ita foemina vel prorsus semine recepto nihil precipit, vel aliquas sentit alterationes. Ita Dnus Prae aliquando à pari conjugum in consilium vocatus, cetera sani, in quem sterilitatis culpa retundaret, scitabantur, retulitque uxor se semen viri quidem recepisse & aliquamdiu retinere, sed illud tamdiu in matris tumultuari, donec denuò effluat. Totum illud vitium



disproportionato consistit semine, quod quidem aliam efficit fermentationem, non tamen sufficientem, inde illæ uteri turbæ. Et hinc causam deduci posse, ut utero, quæ fiat, quod quædam viragines Lucinæ opem implorare nunquam necesse habeant; Cum enim illæ virorum accedant naturam, id est fermentationes his virorum analogas habeant, ineptæ prorsus sunt ut sibi simili fermento alterentur. Nec difficile jam terminatu erit, cur aliquando certis annorum periodis scrasia talis circumscribatur; communis quæ hauriunt aër, eadem victus ratio, utriusque corporis congrua effluvia, concubitus quotidianus & alia multum valent alterandis corporibus, ab illis maximam partem temperamentorum dependet diversitas, quæ uti congruè, si diu, agant quantæ sint efficaciam in Physiologis mediocriter versati norunt, unde quo minus sunt proportionata longiori tempore opus; quò magis verò, breviori; si verò toto ab invicem differant cœlo, nullas sufficiet; Sed hic terminus esto indagationi causarum, me enim plurimas illarum jam vel extremis deperisse labris puto, nec illas, quas non tetigi, tales fore spero, ut cuidam ad antecedentia attendenti crucem ferre potis sint: Si verò tales reperiesset B. L. scias, me non arrogantem non esse, ut latissimos naturæ errores huius chartæ angustis includere præsumam.

## TH. XV.

Pauper vel nimis amplum peculium suo se prodit dicio; sensibus foraminis apparet tortuositas, ut & omnia corporum vastitas; Langvorem & impotentiam maritorum te uxorum docebunt quærimonia. Testi-



culorum convulsio, paralyſis, tumor, ulcus, abſentia latere nequeunt. Si lapis chirurgia extractus ſit, ex relatione conſtabit. Seminis illegitima miſtura è ſuis fontibus petenda. Vaſorum verò ſpermaticorum defectum, malefactam conformationem vix arte ullâ imò vix probabili conjecturâ indagabis. Si imperforatæ clauſurâ externi pudendi orificii laborant vel nimis arctæ ſint res plana eſt. Cervicis coalitum Hannibal ante portas animadvertit. Interioris orificii uterini oppreſſionem, vel obſetricis digitus aliquando explorabit, vel ſi ſemen virile à coitione ſtatim denuò effluat, conjecturam illius facere licebit. Uteri ſcirrhum, hydropem, tympaniam, obſtructiones, ulcus, nimium menſium fluxum vel defectum, intemperiem, propria quævis capita docebunt. Semen utriusque conjugum improportio, niſi aliunde illorum fœcunditas conſtet, difficillimè cognoscitur, niſi ex diverſis temperamentis artiſcioſè aliquid conjecturare velimus.

## T H. X V I.

Si Prognosis inſtituenda ſit: Abſentia neceſſariò requiſitorum omninò deſperare jubet, & longior à naturali conformatione reſceſſus, difficiliorem reddit prognosin. Pendet etiam illa à morbis, qui, quo minùs conceptus fiat, impediunt. Quos cita nimis venus corruptit vel nimia enervavit, ponderato exceſſu cum naturali conſtitutione demum de iis pronuntiabimus. Si orificium pudendi claudatur facilè curatu eſt, ſi à membrana id fiat; ſin verò illa coalitio ſit profundior caroque coaluerit, difficilior eſt. Interius verò orificium ſi occupaverit, incurabilis. Inter quos Conjuges



juges discrasia naturalis intercedit, de iis nequaquam desperandum. *Sic novimus mulieres*, inquit P. Forest. Obs. LVII. libr. 28. *alias sexdecim annis viris copulatas, alias octodecim annis quasi steriles tunc prius concepisse. Ita novi & honestam matronam, quæ cum ex primo viro non concepisset, postea alteri valde fecundo nuptam, neq; tunc fecunda fuerit: Verum tertio marito copulata, tunc demum concepit.*

## TH. XVII.

Ad curam dum propero, singulis causis si peculiarem dare vellem, non dissertationem, sed volumen integrum coacervarem; Petantur igitur illæ ex proprio cujuslibet causæ capite: hîc saltem id agam, ut propriæ talem & huic soli malo occurentem brevibus delineem. Cum aliqua sint conformationis vitia arte corrigibilia, iis primùm medicinam faciamus. Scio quidem nonnullos brevi nimis virgæ opitulari velle, illam aliquoties de die abluendo aquâ calidâ decoctionis piperis, sinapios, pyrethri, illam ad rubedinem usq; fricare, calidis postea inungere oleis & ex ammoniaco & pice denuò imponere emplastrum. Sed licet id forsan in juventute alicujus possit esse efficacix, cum autem ad ætatem pervenitum inutile erit, & si quid agat latius, non longius membrum reddet. Quomodo labra vulvæ agglutinata resacet, foeminam resupinando, ita ut crura ad summum ventrem contracta habeat, femora verò inter se disparata & vinculis idoneis ulnas ipsius ad poplites & cervicem deliget, apud Hier. Fabr. ab Aquap. videre est. Si vaginæ latera coaluerint, cicatrice jam obducta, vix sectione, utut adhuc satis periculosâ, tutius

D 3

habe-



habebis remedium. Strictis alia, alia nimis patulis competunt remedia. Illæ humectantia, emollientia, laxantia in semicupiis, linimentis, pessariis &c. requirunt. Harum hiatui austerea & adstringentia, sed blanda, quæ interna, quæ externa, quantitate parvâ & repetitis vicibus, subinde medicamento mutato, adhiberi debent. Aut si ab alia oriatur intemperie vel morbo, ille auferendus, nam causâ sublatâ cessabit effectus.

## TH. XVIII.

Penis erectio nulla, non sufficiens vel non satis diu perseverans à defectu cum spirituum animalium oriantur, illi succurrendum. Erectio si nulla fiat ob vasorum spiritus advehentium defectum, curæ expers est. Si verum propter eorum vasorum paucitatem sufficientes non possint deponi, frictione blandâ & frequenti & aromaticorum linimentorum inunctione vasorum ampliationem tentare debemus. Sin verò à spirituum in massa sanguinis defectu hæc oriantur incommoda, volatilia, oleosa, omniaque aromatica & camphorata illum resarcient & intus & extus adhibita. Illa tamen præprimis adhibebimus, quæ rationi ministrans docuit experientia: dum langvescens illa venus suppetias à medicamentis accipit, grata conjux blandè excipiat maritum, ignavas demulceat partes, nec osculis parcat, quibus joci salesque misceantur. Imò quantum in me est, non repugnarem, si partium istarum ignaviam non nemo eodem, quo Cœlius Lib. XI. c. 15. ex Joh. Pic. Mirand L. III. contra Astrologos, refert dum inquit: *Non multis abhinc annis vixisse quendam, in venereis ingenii stupendi maximè compertum est: qui, quo pluribus af-*  
fectus



*fectus fuit plagis, eò impetuosius in concubitus ferebatur. Pròinde magnis se precibus difflagellari exposcebat, pridie quam id pateretur, flagello aceti asperitate indurato. Quod si converberator lentius agere visus, velut exstimulante rabie conviciis incessebat: nec factum sibi satis arbitrabatur, nì inter cadendum sanguis sese ostendisset: sibi excitari desideraret modo. Optarẽ potius, ut furtivæ veneris alumni ad unum omnes eo modo strigilla-*  
rentur.

## TH. XIX.

Cùm qualitatibus semen peccat, iis obviam eundum. Sit acre nimis, id acritatem demulcentia & acida corrigent, cujus rei notabile habet exemplum Timæus L. III. cas. 32. de Musico in venere insatialis, cui illam nitrum adeo extinxit, ut postea vix propriæ sufficeret uxori. Requisita non adsit copia, locupletent illius penum multo succo lacteo chyloso turgida medicamentata. Sit aqueum nimis ut sine titillationis sensu effundatur in orgasmo venereo, ambra, zibethum, semen erucæ, cardamomum, aliæve sale acriori prædita stimulum inducant. Aliæ v. seminis discrasia, cùm ex M.S. in temperie oriantur, illâ correctâ sponte cessabunt.

## TH. XX.

De discrasia nihil determinari potest; attentè meditari debemus, quâ temperie quisque conjugum gaudeat, eoque eniti, ut medicamentis, quoad possumus, illas faciamus sibi similes, vel alterutri vel utrique conjugum facientes medicinam, juxta cujuslibet temperamenti indicationes.

## TH. XXI.



## TH. XXI.

Quamvis Diæta maximi hîc sit momenti, in præsentiarum tamen de illa nihil subjungo. Non enim sine nausea crambem recoqverem, cujuslibet enim affectus causa, quid vitandum sit, simul dicit. Qvales quippe medicamentorum, tales etiam diætæ sunt indicationes.

\*\*\*\*\*  
**N**on est ex STERILI prolapsus Is Arbore fructus,  
 Evellit STERILIS qvî mala cuncta soli.  
 Vena sit hæc nunquam STERILIS, qvæ munere tanto  
 Affluit, & Medicâ fertilitate cluet.

*Clariss. Dn. Candidato ita applaud.*

MARCUS RHODE, D.

Cod Just. PP. Ord. & h. t. Univ. Rector.

---

*Clarissimo atque Doctissimo Dn. Candidato  
 paucis hisce bene precari voluit*

PRÆSES

**U**T steriles REUTERE Tibi dent praxin optimam,  
 Ut dent fœcundi, mente animoque precor.

---

*Nobilissimo*

Domino REUTERO

*Pro summis in Arte honoribus impetrandis*

De STERILITATE solenniter Disputanti

**P**ellere cordivoram, Steriles qvæ exercet, AMICE  
 Curam cum satagis, Cura probanda Tua est,  
 Applaudit Curæ laudandæ Phœbus & ipse

Plausus his Phœbi Plausibus addo meos,  
 Non Sterilis posthæc unquam Tua Praxis; & illa  
 Qvamcaptas, LAURUS, ne Tibi sit sterilis!

*Ita gratulatur*

JRENÆUS VEHR, D. Archiater  
 Elect Brand. & Professor Med. Ord. Senior.

